

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. IV. De Senatusconsulto Orficiano.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

*De vulgo quæsitis.*

8. Licet autem vulgo quæsitus sit filius filiave, potest tamen ad bona ejus mater ex Tertulliano Senatusconsulto admitti.

TIT. IV.

*De Senatusconsulto Orficiano.*

*De liberis matri succedentibus.*

**P**ER contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur, Senatusconsulto Orficiano, quod Orficio & Rufo Consulibus effectum est Divi Marci temporibus, & data est tam filio, quam filiæ legitima hereditas, etiamsi alieno juri subjecti sint, & præferuntur consanguineis & agnatis defunctæ matris.

*De nepote & nepte.*

1. Sed cum ex hoc Senatusconsulto nepotes & neptes ad aviæ successionem legitimo jure non vocarentur; postea hoc Constitutionibus Principalibus emendatum est, ut ad similitudinem filiorum filiarumque & nepotes & neptes vocentur.

*De capitis deminutione.*

2. Sciendum autem est, hujusmodi successiones, quæ ex Tertulliano & Orficiano Senatusconsultis deferuntur, capitis deminutione non perimi, propter illam regulam, qua novæ hereditates legitimæ capitis deminutione non pereunt, sed illæ solæ, quæ ex Lege duodecim tabularum deferuntur.

*De vulgo quæsitis.*

3. Novissime sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgo quæsitus sunt, ad matris hereditatem ex Senatusconsulto admitti.

*De jure accrescendi inter legitimos heredes.*

4. Si ex pluribus legitimis heredibus quidam *Ex Marc. omise. l. 9. ff. d.*

*suis &  
legis.*

omiserint hereditatem, vel morte vel alia causa impediti fuerint, quo minus adeant: reliquis, qui adierint, adcrefcit illorum portio: & licet ante decesserint, ad heredes tamen eorum pertinet.

## TIT. V.

### *De Successione Cognatorum.*

*Tertius ordo succedentium ab intestato.*

**P**OST suos heredes, eosque, quos inter suos heredes Prætor & Constitutiones vocant, & post legitimos, (quo numero sunt agnati, & hi, quos in locum agnatorum tam supra dicta Senatusconsulta, quam nostra erexit Constitutio) proximos cognatos Prætor vocat.

*Qui vocentur in hoc ordine. De agnatis capite minuti.*

1. Qua parte naturalis cognatio spectatur: nam agnati capite deminuti, quique ex his progeniti sunt, ex Lege duodecim tabularum, inter legitimos non habentur, sed a Prætoro tertio ordine vocantur: exceptis solis tantummodo fratre & sore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos Lex Anastasiana, cum fratribus integri juris constitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, sive sororis; non æquis tamen partibus, sed cum aliqua deminutione, quam facile est ex ipsius Constitutionis verbis intelligere. Aliis vero agnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem passi non sunt, tamen anteposit eos, & procul dubio cognatis.

*De conjunctis per feminas.*

2. Eos etiam, qui per fœminini sexus personas ex transverso cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine Prætor ad successionem vocat.

*De*